Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

preter clamidem qua indutus erat habuit. Iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro quo accinctus erat, mediam diuisit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induit. Interea de circumstantibus ridere nonnulli, quia deformis esse et truncatus habitu uideretur. Multi tamen quibus erat mens sanior altius gemuere, quod nichil simile fecissent, cum utique plus habentes uestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insequenti cum se sopori dedisset, uidit Christum clamidis sue qua pauperem texerat parte uestitum. Intueri diligentissime dominum uestemque quam dederat iubetur agnoscere. Mox ad angelorum circumstancium multitudinem audit Ihesum clara uoce dicentem: Martinus adhuc cathecuminus hac me ueste contexit. Vere memor dominus dictorum suorum que ante predixerat: quamdiu fecistis uni ex minimis istis, michi fecistis, se in paupere professus est fuisse uestitum; et ad confirmandum tam boni operis testimonium in eodem se habitu quem pauper acceperat est dignatus ostendere. Quo uiso uir beatus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem dei in suo opere cognoscens. Cum esset annorum duodeuiginti, ad baptisma conuolauit. Nec statim militie renunciauit, tribuni sui precibus euictus, cui contubernium familiare prestabat. Etenim transacto tribunatus sui tempore renunciaturum se seculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus per biennium fere postea quam est baptisma consecutus, solo scilicet nomine militauit. Interea irruentibus intra Gallias barbaris, Iulianus cesar coacto in unum exercitu apud Vangionum ciuitatem donatiuum cepit erogare militibus. Et ut est consuetudinis singuli recitabantur, donec uentum est ad Martinum. Tum uero oportunum tempus existimans quo peteret missionem, neque enim integrum sibi fore arbitrabatur si donatiuum acciperet: Hactenus inquit ad cesarem militaui tibi; patere ut nunc militem deo. Donatiuum tuum pugnaturus accipiat; Christi ego sum miles, pugnare michi non licet. Tum uero aduersus hanc uocem tyrannus infremuit, dicens eum pugne metu que postera die erat futura, non religionis gratia detrectare miliciam. At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constancior: Si hoc inquit ignauie non fidei ascribitur, crastina die ante aciem inermis astabo, et in nomine Ihesu Christi signo crucis non clipeo protectus aut galea hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur, facturus fidem dictis, ut inermis barbaris obiceretur. Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seque dedentes. Vnde quis dubitet hanc uere beati uiri fuisse uictoriam, cui prestitum sit ne inermis ad prelium mitteretur. Et quamuis pius dominus seruare militem suum licet inter hostium gladios et tela potuisset, tamen ne uel aliorum morte sancti uiolarentur obtutus, exemit pugne necessitatem. Neque aliam pro milite suo Christus debuit prestare uictoriam, quam ut subactis sine sanguine hostibus nemo moreretur.

*Vbi renunciauit militie et sanctum Hilarium expetiit, et postea parentes uisitauit*

Exinde relicta milicia sanctum Hilarium Pictauie episcopum